Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Pandectae Veteris Et Novi Testamenti Historicae

Draud, Georg

Francofurti ad Moenum, 1613

Dvodenarivs decimvs

urn:nbn:de:bsz:31-162406

Visual Library

DVODENARIVS DECIMVS,

DE PRAECLARIS ARTIficibus.

DE TVBALE ARTIfice præclaro. I.

TVBAL filius Lamechi, ex vxore Ada, fuit Artifex cithararum, & organorum, muſica inſtrumenta primus excogitauit & modulatus eſt.

DE TVBALE.

EPIGRAMMA.

Lamechi natus plectrum cytharasq; ſonoras
Inuenit primus concinnitq; Chely.

DE TVBAICAINE PRÆclaro artifice. II.

HIc illuſtris fama fuit arte æraria, nam malleatorem, & fabrum egit, quã artem primus

mus ille inuenit. Filius fuit ſimiliter Lamechi, ſed ex vxore Zilla.

DE TVBAICAINE.

EPIGRAMMA.

Artificis fulſit late ſceleberrima fama
Huius, qui reperit cudat ut æra faber.

DE ANA, PRÆCLARO artifice. III.

ANas ex genere Eſau primogeniti Iſachi inſignis artifex: primus docuit, quî artificioſe calidis aquis mortales vtantur, quas in ſolitudine cum paſceret Aſinas Zibeonis primus inuenit. Habuit filiam Diſan, filiam Ozbibamam.

DE ANA.

EPIGRAMMA.

Inuenit primus paſcendo patris Aſellos
Vſus ſit calidæ quis modo verus aquæ.

DE IAHELE, PRÆCLARO artifice. IV.

IAhel filius Lamechi ex vxore Ada, excellens Artifex, quomodo ſtruenda atq; inhabitanda ſint

da ſint tentoria docuit, fuit paſtorum pater & alendi pecoris ſcientiſſimus.

DE IAHELE.

EPIGRAMMA.

Caſtrorum docuit caſtrorum vſumque perite
Cum gnauus pecudes paſceret ipſe ſuas.

DE BESELEELO PRÆ-claro artifice. V.

BEſeleel filius Huri, de tribu Iuda artifex peritiſſimus ſpiritu Dei, & ſcientia varia in omni opere illuſtratus fuit. Fabricauit ex auro, argento, ære & marmore, gēmis & lignis quicquid proponebatur, vnde tabernaculum fœderis Arcam teſtimonii, propitiatoriū quod impoſitum ei, & omnia vaſa tabernaculi menſam, candelabrum & alia diuino cultui neceſſaria confecit. Sacri libri eius opera euidentiſſime deſcribunt. Tanta diligentia expoliuit vt interitura nunquam laude celebrari dignus ſit.

DE BESELEELO.

EPIGRAMMA.

Ex auro, argento, ſtanno nitidisq; metallis.
Effinxit pulchre plurima in æde Dei,

DE

DE OOLIABO, PRAECLARO artifice. VI.

OOliabus filius Achiſemechi Danitæ, vir priori magiſtro non multum arte diſſimilis. Collega fuit Beſeleeſis in condendis iis, quæ neceſſaria erant ad tabernaculum fœderis, fuit artifex clariſſimus in lignis & metallis exſculpendis, veſtimentisq; ſacris ex Hyacintho purpura, Byſſo, egregie parandis ſcientiſſimus.

DE OOLIABO.

EPIGRAMMA.

Caſtra Dei iuuit, dicti collega magiſtri.
Condere. Nam multa clarus in arte fuit.

DE HYRA PRAECLARO artifice. VII.

HYras Napthalimites ſed patre Tyrio, & matre Iudęa natus, licet alii diuerſum ſentiant, nempe patrem fuiſſe Iudæum, ſed matrem Tyriam. Hoc qualecunque ſit, conſtat artificem ærarium fuiſſe, cuius opera & induſtria Solomon ad vaſa & alia conficienda templo neceſſaria vſus eſt. Prædicant mire huius

artem ſacra volumina. Epiſtylia fuſilia in liliorum ſpeciem figurata conflauit. Fudit & vas æneum tantæ magnitudinis, vt ab re ſit mare nominatum. Diametri longitudo decem cubiculorũ, opus Hemiſpherii ſpeciem referens denis explicabatur coronis. Circumſtabant craterem boues duodecim, quatuor diuerſas mundi plagas reſpicientes, eo ordine, vt terni ſingulas perſpectarent, eo ſtatu cratere auerſi, vt in extremis churibas tota moles ſecumberet. Fuit æneum illud duorum nullium batorum capax. Fudit & machinas æneas, littereſque decem æneos immenſæ capacitatis, & alia plurima inſtrumenta, quæ poſuit rex in templo Domini, Cherubim quoq; leones, & palmas more hominis ſtantis exſculpſit in tabulatis, quæ ære confecta erant, vt non cælata, ſed appoſita per circuitum viderentur. Proinde inter artifices peritiſſimos non infimum ſortitur locum.

DE HYRA.

EPIGRAMMA.

Egregius ferri, ligni, ſtannique magiſter
Sculpendi. Hunc ſcite Biblica ſcripta probant,
Namque hic omnigenis, Salomonis tempore templum
Ornauit vaſis, relligione ſacris.

DE

DE IOBABO PRAECLA-ro artifice VIII.

IObabus filius Sarariæ frater Othonielis ex tribu Iuda natus, egregius artifex fuit, & multis præclaris operibus fabrilibus inſignis; vt & pater artificum diceretur.

DE IOBABO.

EPIGRAMMA.

Saraiæ gnatus Iobabus laude canendus,
Quem patrem artificum dicere iure queas,

DE EZIELE, PRÆCLA-ro artifice, IX.

EZiel filius Arariæ, aurifex celeberrimus, à captiuitate Babylonica templum Domini reſtaurare iuuit, cum Esdra ſacerdote.

DE EZIELE.

EPIGRAMMA.

Eziel inſignis Templum reparare magiſter,
Iuuit cum reliquis, aurifaberq; fuit.

DE MELCHIA PRAECLA-ro artifice. X.

MElchias Gabaonites induſtrius fuit artifex, ædificauit à captiuitate Babylonica Templum Dei diligentiſſime & artificioſiſſime.

DE MELCHIA.

EPIGRAMMA.

Dum condit Domini templum moresq́ relapſos
Hunc merito vatum carmina docta canunt.

DE ANANIA PRAECLA-ro artifice XI.

ANanias filius cuiuſdam pigmentarii, & hic eximius artifex fuit; Templi reſtaurationem accuratiſſime adiuuit.

DE ANANIA.

EPIGRAMMA.

Mœnia quod Solymæ quæ quondam diruta ab hoſte.
Et templum reficit, lauda vehendus erit.

DE MOSOLLA PRAEclaro artifice XII.

MOſollas filius Beſoidiæ, portam veterem à captiuitate Babylonica in reparanda ęde Dominica cum Ioiada filio Phaſeæ condere iuuit, affabre parauit valuas, ſeraſque affixit & vectes.

DE MOSOLLA.

EPIGRAMMA.

Portas affixit templo, valuisq; serisq;
Muniit, & mira ſedulitate fores.